



Politicorvm Libri Decem

Contzen, Adam

Colonia, [1621]

Cap. IX. Rempublicam à Deo esse & dependere ex prædictionibus alijs
cognoscitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95437](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95437)

universa vivificat, & conservat, initia, elementaque omnia sensibilibus substantia.

Irenaeus. Irenaeus adversus haeres. lib. 3. cap. 41. Providentiam autem habet Deus omnium, propter hoc & consilium dat: consilium autem datus adest his, qui morum providentiam habent. Necesse est igitur ea quae providentur & gubernantur, cognoscere suum rectorem: quae quidem non sunt irrationabilia; neque vana, sed habent sensibilitatem perceptam de providentia Dei. Et propter hoc Ethnicorum quidam, qui minus illecebris ac voluptatibus servierunt, & non in tantum superstitione idolorum abducti sunt; providentia eius moti, licet tenuiter, tamen conversi sunt, ut dicerent fabricatorem huius universitatis Patrem omnium providentem, & disponentem secundum nos mundum.

Augustinus. Augustinus de civitate Dei, lib. 5. cap. 10. Neque enim Cuncta praesentia Dei & praesentiam Dei sub necessitate ponimus, si dicamus, necesse esse Deum semper vivere, & cuncta praesentia: sicut nec potestas eius minuitur, cum dicitur mori, fallique non posse. Sic enim hoc non potest, ut potius si posset, minor esset virtutis potestatis. Recte quippe omnipotens dicitur: qui tamen mori, & falli non potest. Dicitur enim omnipotens faciendo quod vult, non patiundo quod non vult. Quod si ei accideret, nequaquam esset omnipotens.

Augustinus de civitate Dei lib. 4. cap. 28. Sicut autem porcerum aurum habere Romani, quamvis Deum Aurum non colerent: Sic & argentum habere potuerunt, & aurum, si nec argentum, nec eius patrem colerent Aesculanum: & sic omnia quae retexere pigit. Sic ergo & regnum inuito quidem Deo vero nullo modo habere possent, Diis vero istis falsis, & multis ignoratis, siue contemptis, atque uno illo incognito, & fide sincera ac moribus culto, & melius hic regnum haberent, quantumcunque haberent, & post hoc acciperent sempiternum, siue hic haberent, siue non haberent.

Augustinus de civitate Dei lib. 5. cap. 1. Iam consequenter videamus, quae causa Deus, qui potest & illa bona dare, quae habere possunt etiam non boni, ac per hoc etiam non felices, Romanum imperium tam magnum tamque diuturnum esse voluerit. Quia enim hoc Deorum falsorum illa, quam colebant, multitudo non fecit, & multam diximus, & ubi visum fuerit opportunum esse dicemus. Causa ergo magnitudinis imperij Romani, nec fortuita est, nec fatalis, secundum eorum sententiam siue opinionem, quae ea fortuita dicunt esse, quae vel nullas causas habent, vel non ex aliquo rationabili venientes: & ea fatalia, quae praeter Dei & hominum voluntatem cuiusdam ordinis necessitate contingunt. Prorsus divina providentia regna constituuntur humana.

Petrus Chrysologus. Potentia Domini non est maior in regno potentissimo confirmando, quam in tugurio pauperis evertendo. Quis enim in Graecia potentior fuit Alexandro? Et tamen successisse legitur, non suus, sed saltatrix filius.

S. 2. Vere igitur Augustinus l. 5. de civitate Dei, c. 11. Deus itaque summus & verus cum verbo suo, & spiritu sancto, quae tria unum sunt, Deus unus, omnipotens, creator, & factor omnis animae, atque omnis corporis: cuius sunt participatione felices, quicunque sunt veritate, non vanitate felices: qui fecit hominem rationale animal ex anima & corpore: qui cum peccantem nec impunitum esse permisit, nec sine misericordia dereliquit: qui bonis & malis essentiam etiam cum lapidibus, vitam feminalem etiam cum arboribus, vitam sensualem etiam cum pecoribus, vitam intellectualem cum solis Angelis dedit, a quo est omnis modus, omnis species, omnis ordo; a quo est mensura, numerus, pondus: a quo est quicquid naturaliter est, cuiusque generis est, cuiusque estimationis est: a quo sunt semina formarum, forma seminum, motus seminum atque formarum. Qui dedit & carni originem, pulchritudinem, valetudinem, propagationis securitatem, membrorum dispositionem, salutem, concordiam: qui & animae irrationali dedit memoriam, sensum, appetitum: rationali autem insuper mentem, intelligentiam, voluntatem: qui non solum caelum, &

terram, nec solum angelum, & hominem, sed nec exigui & contemptibilis animantis viscera, nec avis pennulam, nec herbe flosculum, nec arboris solum sine suarum partium convenientia, & quadam veluti pace dereliquit, nullo modo est credendus regna hominum eorumque dominationes & servitutes, à sua providentia legibus alienas esse voluisse.

Sane tam magna nunquam negliget, cui tam parva cura sunt, Numeravit capillos nostros, imò ut notat Tertullianus setas porcorum: non numeravit provincias regum, urbesque terrarum?

S. Augustinus lib. 5. de civitate Dei, cap. 19. idem pulcherrime describit, & malos non sine providentia regnare ostendit. Sed qui contemnit iudicia laudantium, contemnit etiam suspicantium temeritatem: quorum tamen, si vere bonus est, non contemnit salutem: quoniam tanta iustitia est, qui de spiritu Dei virtutes habet, ut etiam ipsos diligat inimicos: & ita diligat, ut susurriones, vel detractores velit correctos habere consortes: non in terrena patria, sed superna. In laudationibus autem suis, quamvis parumpendat, quod eum laudant, non tamen parumpendit, quod eum amant: nec eos vult fallere laudantes, ne decipiat diligentes. Ideoque instat ardentius, ut potius ille lauderetur, a quo habet homo, quicquid in eo iure laudatur. Qui autem contemptor gloria, dominationis est avidus, bestias superat, siue crudelitatis virtus, siue luxuria. Tales quidam Romani fuerunt. Non enim cura existimationis amissa, dominationis cupiditate caruerunt. Multos tamen fuisse, prodit Historia. Sed huius vitij summitatem, & quasi arcem quandam Nero Caesar primus obtinuit: cuius fuit tanta luxuries ut nihil ab eo putaretur virile metuendum: tanta crudelitas, ut nihil molle habere crederetur, si nesciretur. Etiam talibus tamen dominandi potestas non datur, nisi summa Dei providentia, quando res humanas indicat talibus dominis dignas. Aperta de hac re vox divina est, loquente Dei sapientia: per me reges regnant, & tyranni per me tenent terram.

Concludit igitur S. Augustinus lib. 5. de civitate Dei, cap. 21.

Qua cum ita sint, non tribuamus dandi regni atque imperij potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno caelorum solis piis: regnum vero terrenum & piis, & impiis, sicut ei placet, cui nihil iniuste placet.

CAPUT IX.

Rempubicam à Deo esse & dependere ex praedictionibus aliis cognoscitur.

S. 1. **M**INVS est hoc argumentum firmum apud sinceros iudices, & orthodoxos, quam Historia geid, quod ex sacris literis depromptum, apud neri hu- Pseudo-politicos tamen, qui scripturae sacrae non mani non credunt, cum omnino historiam humani generis credere negare non audeant, multum ponderis habeat ne- lictum non cille est. Si enim est diuinitas, igitur etiam est pro- est. uidentia alicuius numinis; Si providentia, igitur administratio rerum ad numen pertinet, non igitur casu, aut humana duntaxat ratione res humanae gubernantur. At vero rerum futurarum praedictionem esse ostendunt, non illa modo, quae ex sacris scripturis differuimus, sed multa quoque in vita eommuni acciderunt, atque etiamnum eueniunt, quae eam ita confirmant, ut nemo nisi plane ab omni humanitatis & historiae cognitione abhorreat, negare illa possit.

S. 2. Prophetia & oracula vera, apud quoscun- Nihil vere que reperiantur, non nisi Deo loquente, contin- occultu firi- gener futura pandunt, vel occulta manifestant, Deo cognos- que nemo nisi solus Deus indicare potuit: Natura- scitur.

les enim *magis nobis*, & coniectandi peritiam quam politicis, medicis, Philosophis concedimus, nisi præstantior, & diuinior lux affulgeat, à prædictionibus de quibus agimus, omnino remouemus. Qui dæmonum ope, in occultorum scientia, vel quorundam futurorum præfensione, abutuntur, eos ut impios & crebro fallaces detestamur. Qui vero (ut est apud Tullium l. 2. de diuinatione) halitu quodam terræ, ad futurarum rerum præfensionem excitari, vegetarique animos vatum putarunt, quamuis id quoque Plutarchus, libro quo quarit causas, cur oracula cessarint, sentiat, eos nos longissime à ratione vera abire iudicamus, & prope insanire. Quam enim cognationem, analogiam, aut causâ rationem habere potest, tæta vligo terrarum, aut speluncarum mephitis, cum illis rebus, quæ ex Dei voluntate, & libero hominis arbitrio dependent?

Alia causa diuinationis rejicitur.

Dæmones sola cohibet diuina prouidentia.

Hæc igitur excludo, atque vniuersum illud oraculorum genus, quod totum mundum olim afflixit. Ex eo tamen ipso colligimus etiam diuinam prouidentiam. Si enim sunt dæmonum sæpe vera vaticinia, quia res longe distitas intuentur, vel occulta hominum consilia, & causas euentuum certas norunt, ex eo etiam prouidentia regi mundum discimus, cum enim malisint illi, & malefici spiritus, prouidi tamen, callidi, fortes; necesse est, maiore vi ac metu eorum vim nequitiamque cohiberi, id vero à nullo hominum, sed à Deo fieri potest, cum vel vnus tanta agilitate, robore, cognitione omnium rerum naturalium, maxime inaspectabilis, & inuulnerabilis perdere homines vniuersos possit. Horum impostura spirituum gentium fere superstitiones nitebantur, verum postea manifesti fraudum vates auctoritatem, & precia mendaciorum perdiderunt, postremo etiam dæmones ipsi elingues sunt facti.

§. 3. Præcipua auctoritas fuit librorum Sibyllinorum, ceteros fere prudentior ac cultior ætas repudiavit. Suetonius in Augusto. *Quicquid fatidicorum librorum Græci Latiniq[ue] generis, nullis vel parum idoneis autoribus, vulgo ferebatur, supra duo milia contracta vndique cremavit, ac solos retinuit Sibyllinos, hos quoq[ue] delectu habito condiditque duobus forulis auratis sub palatini Apollinis basi.* De illis eisdem libris Augustinus libro 18. de ciuitat. Dei, c. 22. mentionem facit, cum probat Sibyllam Erythream de Christo domino etiam multa prædixisse.

Nec solum de futuris Deus monere sanctos ac pios noluit, sed cum illi pauci essent, & in multis populis vix vlli, impiorum voce vsus est. Ut Baalam Numer. 22. & 23. Hinc quoque innumera sunt apud gentes vera ostenta, atque indicia reipublicarum, & regnorum, vel de nouo constituendorum, vel mutandorum. Exempla sunt apud Lipsium in monitis, & in omnibus scriptoribus præcipue posterioris æui, maxime in imperii Constantinopolitani variis variorum euentuum prædictionibus.

Plurima vero historiae martyrum, ac sanctorum patrum referunt, quæ quamuis profanitas pseudo-politicorum ridere consuevit, non tamen quicunque prudenter, & sine præiudicio eorum virorum acta, doctrinamque perpenderit fraudis aut imposturæ quicquam potest suspicari. Plurimis certe prædicta sunt imperia, & victoriæ, quibuscæ consecuti sunt. Constantino magno dictum: In hoc signo vinces: aliis alia sunt, nec sine effectu prædicta.

Marcianum aquila imperii insignis dormientem obumbrat, iterumque id fit in Africa, mirantibus Barbaris, & captiuo libertatem vltro dantibus.

Theodosio deinde mortuo, mox Augusta coniuge, & imperio ornat.

Admirabile quod l. 1. monit. recenset post alios Lips. Compar istis, quod patrum æio LVDVICO Hungaria regi accidit: cui bellum Soleimannus Turcarum Princeps parabat, atque ipse pariter se accingebat. Prædebat in arce Buda, foribus tunc regia de more clausis. Astat ad portam quissiam humana specie, sed claudus, distortus, & habitu cetero cultuque fædo: qui acris & stridula voce clamat, poscitque colloquium Regis. Negligitur, & putabant mendicabulum hominis esse: cum magis magisque inclamat, & opus conuento rege, nec alio, esse. Re ad regem delata, mittitur è splendidioribus aulicis, iussu nomen, & personam suam præferre, & hoc quicquid esset elicere. Venit, & appellat claudum de arcano qui inspecto, abnuat hunc regem esse: & quoniam, inquit, audire aspernatur, abi, nuncia breui & certo periturum. Et cum dicto ex oculis adstantium enauit. Nimis vera comminatio fuit, rex ad Mohatrum urbem, grandi prælio victus, & fugiens in paludes incidit: & dum emittitur, equo super eum corruente obruitur, aut suffocatur. Annum agebat vigesimum primum.

CAPVT X.

Regna à Deo gubernari ex dictis impiorum & infidelium ostenditur.

§. 1. **Q**uamuis recte dixerit sapiens huius sæculi, & cuius doctrina in multis ad verum proxime accessit, *Semper humanum genus de Deo male meruisse, male enim & stulte de Deo sentit.* Sunt tamen animis insitæ & inuicibiles præconceptiones, & magni luminis, quod in primariæ gratiæ puro refulgebat, quadam scintilla inter densissimarum caliginum nubila emicantes, quæ mentem suis tenebris obflectam, & sæpe ignorantia suæ amantem in finem suum dirigunt, aut sane ociose, & secure vitis suis indormiscere, atque veterno graui obtorpescere non sinunt. In his fere mundus impiorum cum viris optimis consentit, quamuis deinde in electione magna sit iudicandi agendique diuersitas. Pericula subita, grandia, fidelibus religionem incutunt, eosque ad pietatem, orationem, peccatorum detestationem conuertunt, impiorum superstitionem accendunt, atque ad atrocitæ scelera impellunt. Ieiunant, orant Niniuite, & Bethulientes, cum excidium ante oculis obuatur, at Rex Moabitarum primogenitum in mœnibus immolat, & miserabilis liberatur, quam vinceretur. Curtius se pro legionum periculo præcipitat, Romani Græcum, & Græcam, Gallum & Gallum defodiunt, Carthaginenses selectæ formæ, & indolis patricios pueros Satana in holocaustum exurunt. Omnes numen aliquod *scilicet maius*, quod calamitatibus auertendis, malisque minuendis idoneum, & beneficum esse naturaliter sentiunt, placare se, & auxiliare habituros esse confidunt, omnes ex alio se suasque res pendere agnoscunt, solum in eius designatione aberrant. *Si Tiberis descendit in menia, si Nilus non ascendit in arua, si cælum sterit, si terra mouit, si fames, si lues, statim Christianos ad Leonem.*

Natura hominis vera docetur.

Pericula bonos faciunt meliores, hypocritas atrociores.

Tertullian. apol. c. 40. Sic in sanguinem innocentem conclamabunt nocentissimi, quod omnis publicæ cladis, omnis popularis incommodi Christianos esse causas, vel existimarent, vel prætenderent. Hoc igitur nostri sæculi apostatas occultos, simulatores perfidos, vel maxime percellere debet, quod inter gentilium impietates ipsorum athei-

sinus